



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

6 Iudaei, & Pagani, in quibus ecclesi[a]e subiecti sunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**



- 19 *Scriptura priuata manu aliena, alij non nocet.*  
 20 *Infordeſcens in excommunicatione ultra annum a iudice reſponſurus de fide citandus.*  
 21 *Hæreſim manifeſtam aſapiat, dicere, Chriſtus paucos habebit amicos.*  
 22 *Abiuratio de leui, aut vehementi, an irregularitatem incurat.*  
 23 *Filij nati antequam pater fieret hæreticus, panis non afficiuntur.*

## DECISIO I.

Ex conf. 1. alias 2.

- 1 **Q**uamuis attento aliquo Priuilegio, aut conſuetudine a Summo Pontifice approbata, cap. cuncta per mundum. 9. q. 3. cap. propoſuit, de conceſ. præb. Inquiſitores hæreticæ prauitatis ſuper inceſtu Sacerdotis cum filia ſua ſpirituale admiffo procedere poſſint: attento tamen ſolo iure cõmuni, ſuper huiusmodi crimine procedere nequeunt, & procedendo peccant mortaliter, iuriſdictionem alienam uſurpando ex S. Thom. 2. 2. q. 60. ar. 6. ex eo quod cognoscere non poſſunt niſi de crimine hæreſis, & alijs aliquibus illi acceſſorijs; cap. accuſatus §. de inceſtu, de hæret. in 6. quale non eſt inceſtus crimen; cum hæreſis fidei catholicæ, cap. Hæc eſt fides 23. q. 1. inceſtus autem virtuti caſtittatis, & pudicitie opponatur, ex S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. Sed neque de blaſphemia, in qua fit in iuria Deo, aut ſanctis, neque de ſuperſtitionibus, & diuinationibus, quæ ſunt contra virtutem religionis moralium omnium maximam, ex S. Tho. 2. 2. q. 81. ar. 3. præfati Inquiſitores cognoscere valent, niſi caſu quo contradictionem alicuius articuli fidei implicat, aut manifeſtè hæreſim ſapiant, d. cap. accuſatus §. ſane.

## DECISIO II.

Ex conf. 2. alias 3. de renunc.

- 2 **I**nquiſtus beneficium ſuum renuncians in fauorem alterius qui poſtea tanquam fautor hæreticorum per ſententiam condemnatus abiurat, & ab Inquiſitoribus priuatur beneficijs, & priuatus declaratur, valide renunciat; cum renunciatio beneficij ante priuationem facta, valida cenſeri debeat.

## DECISIO III.

Ex conf. 4. alias 9.

- 3 **D**egentes in terris, & Prouincijs hæreticorum, & libros damnatos legentes, & tenentes, excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrun; vt patet §. 1. Bullæ cœnæ. ſicut etiam ij, qui licet non ex animo ſed falſò, & ſimulatoriè iurant Principem ſeculare caput eſſe non ſolum in rebus temporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus, aut qui partim timore, partim ignorantia, criminis ad ſeuitiam tyrannorum vitandam calices, patenas, cruces, aliaque vaſa & ornamenta Sacra & Eccleſiaſtica frangunt, excommunicationem, & irregularitatem incurrun, quæ naſcitur ex crimine notorio de poſitione digno quoad forum contentioſum, ex Naua. in Man. cap. 25. nu. 74. 77. & 148. quoad illud tanquam hæretici notori diuidicandi ſunt, & abſolutione, diſpenſatione, & facultate indigent, immo & inhabiles ſunt ad beneficia eccleſiaſtica obtinenda, ac ſi illa omnia vero animo egiſſent.

## DECISIO IV.

Ex conf. 4. alias 11.

- 4 **S**epeliens aliquem in loco ſacro, de quo apud quosdam timor eſt, quod ſit hæreticus, excommunicationem non incurrit; cum ius excommunicans ſepelientem ſuſpectum de hæreſi, non excommunicat ſimpliciter ſepelientem, ſed præſumentem ſepelire eum, quæ hæreticum eſſe cognofcit; cap. Quicumque, de hære. in 6. clem. 1. de ſepult. præſumptio autem dolum & malitiam præſupponit; quæ tamen excommunicatio non eſt reſeruata Papæ per Bullam Cœnæ vel alia iura, ſicut excommunicatio propter hæreſim incurſa eadem reſeruatur.

## DECISIO V.

Ex conf. 5. (alias) 16.

6. 19.

5 **Q**ui verè hæreticus fuit, & poenitens hæreſeos a ſe admiſſæ iam confeſſæ, vel probatæ eam abiurat, vt miſericordiam confequatur, & ne ad mortem tradatur: c. primum. 1. q. 7. c. ego Berengarius. de confeſ. d. 2. & c. ad abolendam. §. præſenti. de hæret. ad beneficia, & officia confequenda inhabilis eſt, donec habilis fiat, & ipſo iure habitus, & alijs oib. bonis priuatur; cap. 2. §. hæretici de hæ. in 6. & cap. vergentis & cap. cum ſecundum tit. eo & reſignatio beneficij ob hæreſim vacantis nulla & irrita eſt; ita Pius. V. Extr. Cum ex Apoſtolatus. Cui verò abiuratio de leui, immo & de vehementi ſuſpicionem, tanquam purgatio canonica imponitur, & abſolutus, & innocens a crimine impoſito oſtenditur, d. c. ad abolendam. §. Qui vero. & cap. accuſatus de hæ. in 6. nullam omnino inhabilitatem ad obtenta, vel obtinenda beneficia incurrit; cap. Inter de purg. canon. Sed neque reſignatio beneficij ab eo facta per Bullam Pij V. annullatur.

## DECISIO VI.

Ex conf. 7. alias 4.

- 6 **H**æreticus factus occasione Iudaorum ei Iudaifmum perſuadentium, & ad eor rediens & abſolutionem ab excommunicatione Bullæ Cœnæ petens, non niſi manifeſtatis Iudæis præſatis, vt ab Inquiſitoribus puniri poſſint, abſolui debet. Quamuis enim Iudæi cum nondum baptizati ſint, complices hæreticorum eſſe nequeant, ad hoc vt hæretici dicantur, ex Naua in Man. cap. 26. num. 13. nec eccleſiæ legibus ſubijci, quoad legis Chriſtianæ obſeruantiam; cap. gaudemus. de diuortijs. Quia tamen eccleſia ad fidem ſuam defendendam iuriſdictionem habet, inſtè poteſt quocunque turbantes eam, & retrahentes Chriſtianos ab obſeruantia legis Chriſtianæ punire: cum huiusmodi peccata, aut mere fori eccleſiaſtici, aut ſaltem fori miſtri ſint, in quibus caſtigandi iudicium ſeculare præuenire poteſt. cap. cum ſit generale, de foro compet. cap. contra chriſtianos de hære. in 6. & cap. ſape 28. q. 1.

## DECISIO VII.

Ex conf. 8. alias 5.

- 7 **Q**ui in vera & catholica fide perſeuerans, cum hæreticis ſapienter conueſatur, & verba, & hæreticales blaſphemias eorum audit, & libros eorum e uicioſitate quadam, & ſciendi ſolum audire ductus emit, tenet, & legit, ſed poſtea poenitentia ductus libros, quos emerat, comburit, & cuiusdam iubilij auctoritate a Confeſſario ab omnibus peccatis abſoluitur, non obſtante quod in dictis literis continebatur expreſſè, ne legentes, & tenentes libros prohibitos abſoluantur, quia confeſſario perſuadet, quod abſolui debet ex eo, quia tunc non legebat, nec detinebat, licet legit, & detinuerit; legendo, & tenendo illos libros in excommunicationem Bullæ Cœnæ incidit, non quidem quatenus excommunicat hæreticos (cum hic verè coram Deo Catholicus erat, licet in foro exteriori vt hæreticus erit iudicandus, ex Naua in Man. cap. 11. num. 24. & 25. & cap. 27. num. 16.) ſed quatenus excommunicat tenentes & legentes libros hæreticorum ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. Confeſſio vero & abſolutio poſtea a confeſſario facta valida ſuit, (quamuis confeſſarius poteſtatem eum abſoluendi ab excommunicatione non habuerit) eo quod confeſſio & abſolutio excommunicati ſe talem ignorantis valent; ita Na. in Ma. c. 9. nu. 3.

## DECISIO VIII.

Ex conf. 9. alias 3.

- 8 **V**ltramontanus qui cum hæreticis ultra montes conuerſatus eſt, illos denunciare non tenetur; ſi vero cum illis in Italia, vel Hiſpania, & alijs, ubi viget Inquiſitio, conuerſatus ſit, illos denunciare obligatur, dummodo tamen pro certo, & indubitato ſciat aliquem eſſe hæreticum.